



**Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni  
Praesertim Augustini, Et Thomae Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Sacramentis In Genere Et Specie - Libros Octo Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio**

**Leodii, 1709**

Caput 35. Plenam magnorum peccatorum, post baptismum laborum,  
praesertim consuetudinariorum, facilèque & ciitò relabentium  
conversionem raram esse, testantur Sancti, Scriptoresque gravissimi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73212](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73212)

firmus post febris abscellum, ex eius reliquiis adhuc dispositus ad illam, non censetur febris recidivam plenam voluntate cavere vel, nisi ceteris cautius se velit custodire, ab illius abstinere, quae Medicus ad cavendum recidivam cavenda, caetera denique servare, quae servanda praescribit: sic grandis peccator, maximè consuetudinarius, post suam conversionem peccati recidivam non censetur plenam voluntate cavere vel, nisi ceteris cautius se custodire velit, ab illius abstinere, quae caelestis Medicus in Evangelio cavenda, caeteraque servare, quae ibidem servanda praescribit.

## CAPUT XXXIV.

*Pauci etiam magni peccatores, maximè recidivi, & consuetudinarii, salutarem & convenientem, pro facultate sua, admittuntur criminum multitudine & gravitate satisfactionem acceptare volunt, atque ex hoc etiam capite pauci ex ipsis verè sunt ac plenè conversi.*

458 DE tribus esse debet plena voluntas ad plenam conversionem requisita. Utiq; 1. de vita impoliteram emendanda. 2. de adhibendis mediis, ad cavendum relapsum tam absolute quam respectivè necessariis. 3. de convenienter satisfaciendo pro peccatis commissis. Nec sufficit illa velle utcumque, sed velle oportet plenè, sive fortiter & integrè, inquit Augustinus l. 8. Confess. c. 8. Post quem S. Carolus Borromeus Instruct. Past. p. 2. §. 8. *Universi* (inquit) *quantum in se est, cum animi dolore, qui iure in hoc Sacramento requiritur, habere conentur, cum firma & constanti deliberatione animi, tum pro praeteritis satisfaciendi, tum viam impoliteram emendandi.* Suntque illa tria de ratione contritionis, uti postea videbitur. At quam pauci sunt, in quibus triplex illa voluntas fortis est & integra! Videmus longè majorem partem mundaorum hominum currere ad Confessarios dantes parvas pro peccatis magnis poenitentias, & rufugere dantes congruas. Sed quis de talibus S. Bernardinus Senensis? *Non plus habent contritionis* (inquit) *quam diabolus, to. 3. ferm. 35. de amore contentente.* Plura hac de re vide intrà, ubi de satisfactione.

## CAPUT XXXV.

*Plenam magnorum peccatorum, post baptismum lapsorum, praesertim consuetudinariorum, faciliq; & citò relabentium conversionem raram esse, testantur Sancti, Scriptoresque gravissimi.*

459 PRIMUS hujusce rei testis est S. Pacianus epist. 3. ad Sympronianum, ubi dicit, quòd labor ille paucorum est, qui post casum resurgunt.  
460 Secundus est S. Ambrosius l. 2. de poenit. c. 10. ibi: *Facilius invenit, qui innocentiam servaverunt, quam qui congruè egerunt poenitentiam.* Ex quibus verbis arguitur sic: teste Ambrosio difficilius est innocentiam baptismalem, semel amissam, verà poenitentiam recuperare, quàm ad finem vitae servare. Si difficilius, rarius. Quòd enim difficilius, rarius. Atqui rari sunt, qui baptismalem innocentiam ad finem vitae servant. Ergo rariores, qui eam amissam verà poenitentiam recuperant. Rariores enim dicit Ambrosius, qui eam amissam congruè agunt poenitentiam, quàm qui eam ad finem vitae servant.

461 Nec de sola ibi poenitentia publica loquitur

Ambrosius (de qua solum obiter dicit, quòd iteranda non sit, quia una tantum est poenitentia, quae publicè agitur) sed hoc uno excepto, in caeteris omnibus quae in capite illo decimo antecedunt & sequuntur, de iis agit quae necessaria sunt ad poenitentiam, etiam non publicam, & ad recuperandam innocentiam perditam, quòd utique poenitentia faciendae sit cum humilitate, & oratione, & steru; quòdque ad eam congruè agendam renuntiandum sit saeculo, sibi ipsi, atque pristinae vitae, tollendaque crux Christi. Quae certum est necessaria non esse ad agendam solum poenitentiam publicam, sed & privatam.

Tertius testis est Augustinus ferm. 232. edit. 462 noviss. ubi sic: *Abundant hic poenitentes, quando illis imponitur manus, fit ordo longissimus. Orate poenitentes, & eunt orare poenitentes. Disputo poenitentes, & inventio male viventes. Mutamini, mutamini rogo. Quero unum poenitentem, & non invenio, id est vix unum invenio. Iste namque est mitissimus sentus verborum Augustini.*

Quartus testis est S. Gregorius ad illa verba l. 1. Reg. 6. *si forte releves manum tuam, &c.* idiplum vehementer insinuans, cum dicit: *Commovevi ad lachrymas cum magna fortitudine debemus. Quia si qui poenitentiam austeram faciunt (qui profecto rari sunt) vix fiduciam salutis inveniant, negligentes (quales ut plurimum sunt consuetudinarii, & faciliè recedentes) salvi fieri quomodo possunt?*

5. Quintus testis est B. Albertus Magnus in Paradiso animae, dicens, quòd vera contritio est rara, teste D. Gregorio; nec semper credendum est, veram esse compunctionem, ubi gemitus apparent & lachrymae.

Sexto testes sunt omnes Sancti, qui paucos ex Catholicis adultis salvos fieri dicunt, in comparatione eorum qui pereunt. Non quia non confitentur, sed quia non bene, defectu debiti doloris ac poenitentiae. Dudum observavit hoc Guilielmus Parisiensis de Sacram. Poenit. c. 6. dicens, quòd incomparabiliter plus dolendum atque lugendum pro damno atque amissione spiritualium... quàm pro damno atque amissione quorumcumque temporalium. Major tamen pars poenitentium, imò pene omnes è contrario facere videntur. Quia major pars poenitentium incomparabiliter longe esse videntur à condigno & congruo dolore poenitentium, & propter hoc à remissione peccatorum, atque à virtute & effectu Sacramenti Poenitentiae, & propter hoc pro remissione & absolutione reportare illusionem.

Idiplum observavit Adrianus VI. quodlib. 3. 466 q. 1. sine argumentis, atque ex ipso & cum ipso Rosmundus in Confess. c. 11. & seq. de contrit. postquam enim dixit arduum cuiuslibet & valde difficile esse, agere veram poenitentiam, & habere dolorem sufficientem, qui sit contritio... quia dilectio Dei super omnia, ad dolorem sufficientem necessaria, est opus maximè arduum, & hominibus post lapsum sanè difficile... Ideò, ut dicit Adrianus VI. major pars hominum, etiam Christi fidelium, est extra statum gratiae.

Similiter Bellarminus conc. 32. de Resurrect. 467 Dom. §. at inquis: sic certè Confessiones hoc nostro saeculo sunt, ut ego vehementissime reformidem illas audire, defectu scilicet verae poenitentiae. Nam (ut ait conc. 8. & 9. in Dom. 4. Advent. Sacramentum Poenitentiae Baptismus est laboriosus... requirens gemitus, contritionem, lamenta, fructus dignos poenitentiae, preces, jejunia, elemosinas, & alia id genus opera, PROUT ECCLESIA CATHOLICA tenet, ET SEMPER PATRES docuerunt... Ipse etiam Spiritus sanctus in Scripturis sanctis. At, ut paulò ante dixit, ad Confessionem veniunt homines onusti peccatis... sine operibus illis, & statim volunt expediti (id est absolvi, & ad sacram mentis admitti) quasi hoc negotium esset ludus pueri.

*rum. Nonne hi Deum non placare, sed irridere voluisse videntur? Et addit poenitentiam veram adeo raram esse, ut veræ poenitentia opera non solum in moribus nostris, sed vix jam in libris reperiantur. Quodque idem quamplurimi turmatim in gehennam descendunt... ex iis qui confitentur. Denique quod usque adeo dilatavit infernus animam suam, ut descendat ad eam sine numero.*

Similia habet, & multis probat Cornelius à Lapide in cap. 2. Jacobi v. 13. Alfonso quoque Rodríguez (apud Gobat tr. 6. de Pœnit. n. 182.) non sine plurimum aliorum suffragio scribit, longè plures confessiones fieri sacrilegè, ex defecta proposito emendationis.

468 Quid verò S. Theresia? Post mortem apparentis, suos monuit, ut in concionibus suis *vehementer inveherentur in confessiones male factas. Quia via, per quam majorem animarum numerum diabulus in infernum pertrahit, sunt confessiones male factæ, quibus medicina in venenum convertitur.* Sic habetur pag. 510. Operum S. Theresia, ex idiomate Hispanico in Gallicum traductorum per R. P. Ellisæum à S. Bernardo Carin. Excale. In Operibus quoque S. Hildegardis, per Taulerum explicatis, mos indignè atque instructuôsè Sacramenta recipiendi, velut communis & valdè frequens enarratur, illamque ob causam Sancta illa prædicit futurum, ut divina justitia tot hæretes, atque in fide fluctuationes permixtura esset.

469 Denique S. Carolus Borromæus Instr. Past. c. 18. quod magno numero inveniatur qui omnem vitam serè in peccatis mortalibus dixerunt... Et qui nunquam ut oportet Sacramento Poenitentia peccata sua expiarunt. Sanctus quoque Franciscus Salesius Intrad. in vit. devot. p. 1. c. 6. *Frequenter accidit (inquit) confessiones ordinarias eorum qui vitam ducunt communem, vulgaremque, plenas esse magnis defectibus. Eò quod frequenter vel nulla, vel modica adfit preparatio, vel requisita desit contritio. Et in Constitut. Synodal. p. 4. tit. 9. cap. 5. Falsis absolutionibus, falsis proinde poenitentis, perit sum Presbyterorum, tum poenitentium multitudo infinita.*

470 Imò (quod mireris) vel ipse Baunius, sicet aliàs laxioris non rarè doctrinæ, de poenit. fol. mihi 223. reddit testimonium huic veritati: *Mihi (inquit) mirabile videri non solet, si paucos, atque adeo ne unum quidem de mille veri poenitentis nomine reperiri posse dixerit Augustinus... serm. 144. de temp. Nimirum pauci in viam redeunt, pauci se, morsque corrigunt.*

### CAPUT XXXVI.

*Poenitentiam ad finem usque vite dilatam valdè suspectam habuerunt sancti Patres.*

471 PULcherrimas ad id probandum sententias SS. Patrum exhibet Morinus l. 3. de poenit. c. 9. Specialiter id probatur ex famosis illis Ambrosii verbis in exhort. ad poenit. *Qui positus in ultima necessitate aegritudinis sue acceperit poenitentiam, & mox reconciliatus fuerit, & vadit, id est exit de corpore, fateor vobis, non illi negamus quod petit; sed non præsumimus dicere, quia bene hinc exit: non præsumo, non polliceor, non dico, non vos fallo, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene vivens, securus hinc exit. Agens poenitentiam dum sanus est, & reconciliatus, si postea bene vixerit, securus est. Agens verò poenitentiam ad ultimum, & reconciliatus, si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus. Poenitentiam dare possum: securitatem dare non possum. Si tunc agere vis poenitentiam, quando peccare jara non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.*

Hæc verba Ambrosii tanto in pretio habuerunt alii Patres, ut ipsam ipsam penè verbis post Ambrosium dixerit Augustinus homil. 41. inter 50. Cæsarius Arelatensis homil. 44.

Celebris quoque ad idem est sententia Augustini serm. 57. de temp. *Poenitentia, que ab infirmo petitur, infirma est; poenitentia, que à moriente tantum petitur, imò ne est ipsa moriatur.* Similia habent Salvianus, Ilidorus Hipalensis, Rabanus, & Hugo Victorinus apud Morinum suprâ.

Nec de his solis Patres sic loquuntur, qui notabilia tunc non dedissent signa poenitentia; sed & de iis qui ea dedissent, anxii fuerunt, ut constet ex epist. Cleri Romani ad Cyprianum (que est 31. inter epistolâs Cypriani) ubi loquens de iis qui poenitentiam non recutabant, sed imminente morte peragere non poterant, sic ait: *Eorum autem, quorum vita sue urgentis exitus dilationem non potest ferre, ad poenitentiam, & proposita frequenter suorum detestatione factorum, si lachrymis, si gemitibus, si stultis dolentis ac verè poenitentis animi signa prodiderint, cum spes vivendi secundum hominem nulla subsisteret, ita deum cavè & sollicitè subveniri, Deo ipso sciente, quid de talibus facias, & qualiter judicis tui examinet pondera.*

Si tamen poenitentiam agere coperint, dum facti essent, & ante mortem reconciliati fuerint, licet reconciliatio propter mortis periculum, statuta tempora anteverterit, tales de corpore securos exire censuit Augustinus homil. 41. citatâ: *Vis te de dubio liberare? vis quod incertum est evadere? Age poenitentiam dum sanus es. Si enim agis veram poenitentiam dum sanus es, & invenies te novissimus dies, curte ut reconciliaris. Si sic agis, securus es. Quare securus es? quia egisti poenitentiam eo tempore quo peccare potuisti. Si autem tunc vis agere poenitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, & non tu illa. Idem habent Ambrosius, Cæsarius Arelatensis, & Ilidorus apud Morinum suprâ, sicut & Bernardus lib. de modo bene vivendi c. 27.*

De iis autem poenitentia procrastinatoribus, qui eam ad vitam finem ex proposito differant, quid Cæsarius Arelatensis? Homil. 13. sic in eos invehitur: *Sed dicit aliquis, cum ad senectutem venero, & aliquò nimia infirmitate fuero desperatus, tunc poenitentiam petam. Non quidem dicimus poenitentiam prodesse non posse. Certum est quia prodest, si cum grandi elemosyna illam unguisquæ accipiat, & omnibus inimicis indulgentiam sibi, & quibuscumque fecit injuriam, veniam petat, & ita toto corde deliberet, ut si evaserit, quamdiu vixerit, illam cum rugitu, & gemitu, & cum multis elemosynis humiliter agat. Sed nimis tarum est poenitentiam veram ex toto corde tunc agi; econtrâ: multos novimus, dum sani essent, frequenter dixisse, poenitentiam se toto corde desiderare; sed tamen quia illam statim agere noluerant, sua ipsius remediò de hoc seculo recesserunt. Percussit enim hæc animadversio peccator, ut moriens obviscatur sui, qui vivens oblitus est Dei. Nam qui remediò anime sue, quando potuit, noluerit quaerere; postea, etiamsi velit, dubium est utrum mereatur accipere. Vix è centum millibus hominum (ait Eutebus ad Damafum, de morte Hieronymi) quorum mala semper fuit vita, meretur à Deo habere indulgentiam unius... Qui, dum sanus est & juvenis, Deum offendere non formidat, in morte non merebitur divinam obtinere indulgentiam. Reverà (inquit Bernardus serm. 38. ex parvis, sive serm. 75. de diversis) si bene memini, in tertiò canone Scripturarum, unum latronem invenit sic conversum.*

Sed quam ob causam (inquit) de salute Christi filii poenitentis, & reconciliationem in mortis articulo